

erroris sui, sed ipse Adamus primo citatur: *Adam ubi es? Neque sine mysterio, quia ut quidem Interpres scribit: Quo majorem scientiam et cognitionem divinæ majestatis quis acceperit, eo strictiore reddet rationem, juxta illud: Servus sciens voluntatem Domini sui et non faciens, vapulabit multis.* Quando juxta ordinationem divinam civitas Jericho funditus destructa fuit, Josue superiori motus instinctu, *Maledictus*, dicebat, *Jos., vi, 26, vir coram Domino, qui suscitaverit et edificaverit civitatem Jericho.* Quorsum tanta adversus civitatem illam divini furoris indignatio? Respondet in sensu morali Dionysius Carthusianus: « Per Jericho intelligitur una quæque prava et vitiosa societas, que increpari et corrigi dedignatur; qui Jericho suscitatur atque ædificatur, id est, qui vitia secularia renovat et mundanas societates fovet, maledictioni subjicitur. » Quotquot derelicta via timoris Domini, civitati Jerusalem tergus vertunt, reduces in Jericho, id est, qui priora sua desideria prava et dissolutionis seclari incipiunt, hos omnes divinæ maledictionis fulmen ferit. Sed ecce novum salutis nostræ mysterium: incidit in latrones, spoliatus, vulneribusque propemodum attritus fuit, qui a civitate sancta recessit, qui templo vale dixit, qui veram religionem deseruit, semel jam sibi revelatam; non tamen converso quidquam mali illatum esse legitur ulli illorum, nec in latrones incidisse scribuntur, qui a Jericho in Jerusalem ascenderunt; in quod ingeniose advertit Lucas Brugensis, natione Judæus sive Israelita, adeoque Jerosolymita. Homo quicumque mundanus, plus luminis non habens, quam ut per obscura gradiatur viam, in malo utique statu versatur; attamen minus divinam irrilat justitiam, quam cæteri, qui in schola Christi vel veterani sunt, vel alioquin non ex fragilitate aut subreptione, sed *excogitato consilio* delinquant. Hosce ultimos tremenda illa respicit Apostoli, *Heb., x, 26,* sententia: *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquuntur pro peccatis hostia.* Exemplum sit nobis terribilis illa adversus Heli comminatio, *I Reg., iii, 14: Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus, victimis et muneribus usque in æternum.* At quæ, sodes, tantæ divinæ indignationis ratio? utique non alia, judicio meo, quam quod non solum sacerdos, sed et summus Pontifex esset: *Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus; cecidit de sella retrorsum et fractis cervicibus mortuus est.* Notat Origenes casum hunc mortalem fuisse, quia accidit in loco sacro: « Talis est ergo iste locus, ubi est Heli; pro peccato enim retrorsum cadens, expiravit; et nunc si quis retrorsum corruerit a fide et veritate, necesse est ut cadat et continuo moriatur. »

**6.** — Hugo Cardinalis descensum illum moraliter interpretans, dicit: « Descendebat a divitiis in paupertatem; a prosperitate in adversitatem; hoc

« quotidie fit, quia rota fortunæ continuo volvitur; et quidam descendunt et alii ascendunt. »

#### *Incidit in latrones.*

**7.** — « Id est, » dicit S. Augustinus, « in diabolum et Angelos ejus, qui per inobedientiam primi hominis, humanum genus expoliaverunt, morum scilicet ornamentis. » Idem sanctus in alio quodam loco per hunc viatorem, qui in latrones incidit, intelligendo pariter protoparentem nostrum ita scribit: « *Incidit in latrones*, id est, in potestatem Angelorum noctis, qui se transfigurant in Angelos lucis, sed perseverare non possunt; in quos non incideret, nisi ejus mandatis, cælestis levius se fecisset obnoxium. »

**8.** — S. Bernardus in quadam epistolarum suarum, per hos latrones designari scribit, demones, mundum et carnem, inimicos et capitales hostes nostros: « *Incidit in latrones*, id est, in diaboli manus, carnis illecebras et gloriam sæculi. »

**9.** — Rationem vero, ob quam spiritus infernales, nuncupentur latrones, hanc nobis assignat Salmeron: « Latrones isti, qui a latendo dicuntur, quoniam transfigurant se in Angelos lucis, demones sunt; qui in cælo divinitatem sibi usurpari conati sunt, gloriam etiam et divinos honores, ab hominibus tribui per idololatram sibi contendunt. »

**10.** — Singularis divinæ pietatis providentia, ut viator ille in hosce prædones incidere, effectus; si enim usque Jericho, maledictam a Deo civitatem, transisset, præsens indubie salutis animæ suæ discrimen incurrisset, quis autem nescit, majus esse animæ quam corporis pretium? Hic autem penes Deum agendi modus, frequens est, scilicet quod sæpe, gradientes nos cum angustiis, infirmitatibus, carceribus, jacturis bonorum temporalium et similibus invadat et prosternat, ut majora infirmitatis et mortis spiritualis dispendia avertat.

**11.** — Moralem alium ex hisce verbis discursum dicit Hugo Cardinalis iniquus: « Incidit in manus medicorum quoad infirmitatem et in manus divitum quoad paupertatem, in manus advocatorum, quoad adversitatem. » Alii medicorum curæ, alii divitum potentia, alii advocatorum se debent committere protectioni: « Sed omnes, id est, divites mundi, id est, et medici, et advocati, latrones sunt, quia divites pauperes spoliant et opprimunt, similiter medicæ infirmos spoliant pecunia et occidunt; similiter advocati omnes, quot sunt, spoliant, et pauperes et divites. »

#### *Qui etiam spoliaverunt eum.*

**12.** — Quenam porro hæc spolia fuerint, Salmeron in his verbis declarat: « Gratuitis et divinis donis, quæ interna animæ vestimenta manant a gratia adoptionis, sapientia infusa, justitia origi-

« nali, immortalitatis veste, tunica fidei, fascia spei, quæ constringit pectus, toga charitatis, cingulo castitatis, inauribus obedientie, armilli honorum operum et pallio patientiæ. »

**13.** — Consideretur igitur ingens animæ ejusdam in peccatum mortale prolapsæ et in Satana potestatem redactæ calamitas et miseria, spoliatus vero et lucrum quod ex illa sibi vendicat, in eo consistit, quod illam omnium honorum operum meritis exuat, quæ sibi per totum plurimum annorum decursum sibi compararat: *Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordantur, inquit Deus apud Ezechielem, xviii, 24.*

#### *Et plagis impositis abierunt.*

**14.** — Dionysius Carthusianus universo humano generi, per protoparentem nostrorum transgressionem, quatuor precipue vulnera inflata fuisse dicit: « Quatuor vulnera animæ ex originali peccato, videlicet malitiam, id est, pronitatem ad mala, in voluntate; ignorantiam in intellectu, infirmitatem in irascibili, concupiscentiam in concupiscibili. » S. Bonaventura dicit: « Vulneraverunt eum in naturalibus; » natura etenim nostra in donis nature sancta permansit, siquidem contraxit cæcitatem in intellectu, in voluntate odium, oblivionem in memoria, malam in sensibus nostris propensionem, superbiam in supercilio mentis, invidiam in fronte, in oculis invidiam, curiositatem in auribus, in lingua libertatem. Salmeron nullius hæc vulnera recensendo progreditur: « *Vulnus*, » inquit, « suscepimus in corde tristitiæ in ventre gulæ, in renibus libidinis, in pedibus pigritiæ et instabilitatis, in manibus avaritiæ et rapacitatis; omne caput languidum et cor marcescens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, et vulnus, et livor, et plaga tumens, » inquit Isaias. »

**15.** — Albertus Magnus: « Demones homines vulnerant criminibus et peccatis, peccata namque plagæ et vulnera sunt animæ; » imo peccatum non solum animæ mortem affert, quod est certissimum, sed et vitam corporalem pariter abbreviat, *Ecclesi., xxi, 4: Quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas.* Nullum reperitur venenum quantumvis mortiferum, quod ipsimet serpenti illud in visceribus suis deferenti mortem conciliat; solum peccatum adeo est pestilentielle venenum, ut temporalem corpori, æternam vero mortem animæ acceleret: *Corpus et animam perdit in gehennam. Matth., x, 28.*

**16.** — Albertus Magnus, in *Luc.*, considerat, quod unusquisque nostrum per hæc vulnera propriam in recte operando experiat debilitatem et difficultatem: « Patet omnibus, qui niti voluerint ad bonam et difficultatem sentiunt. »

#### *Et abierunt.*

**17.** — Albertus Magnus in sermone quodam in hæc Dominicam dicit: « Demones vulneribus tam diversimode inflatis, abeunt, peccatore semivivo relicto. » Quomodo vero intelligendum sit, quod demones a peccatore discedant, sequentibus verbis declarat: « Per hoc quod abeunt » inquit, « intelligitur, quod dant peccatori spem et præsumptionem longioris vitæ; » multi enim voluptatem in peccatis suis esurientes, male conscientie remorsum et synderesim minime sentiunt, nec propriorum vulnerum, quibus sauciati sunt, percipiunt dolorem, idque quia longam vitam ipsorum futuram esse somniantes, nullum æternorum suppliciorum timorem habent.

**18.** — Salmeron hunc demonis discessum ad tempus tantum fieri dicit, quia hominem suis suggestionibus et tentationum insultibus infestare ad certum aliquod tempus desinunt: « Dicuntur ab hisse ad tempus, cessantes ab actu tentandi; abierunt enim seu victores capta præda, ad alios seducendos et spoliandos. » S. Augustinus dicit: « Abierunt non cessando ab insidiis, sed occultando insidias. »

**19.** — Idem quoque aliam ex his verbis quoad fugacitatem voluptatum, moralitatem deducit: « Significatur etiam, » inquit, « quam cito præterit reat peccati voluptas, » adducique textum illum, *Sap., v, 8: Quid nobis profuit superbiri, aut divitiarum jactantia? transierunt omnia illa tanquam umbra: »* Elsi autem pertranseat peccati voluptas, remanet tamen vulneris signum, ut merito conseratur ferat api, quæ comeduntibus mel suum relinquit aculeum, dum fugit. »

#### *Semivivo relicto.*

**20.** — S. Bonaventura supradictæ explanationi inherens, scilicet per hunc despoliatum hominem nostrum intelligi protoparentem, quia ratione hoc dicitur intelligendum sit, his verbis declarat: « Reliquerunt semivivum, » inquit, « quia creatus est tracta similitudine Dei, ad quam creatus est homo, remansit sola imago, ut vere possit dici illud: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis. Psal. xlviii, 21.* »

**21.** — S. Augustinus ait: « Abierunt semivivo relicto, quia immortalitatem exuere, sed rationis sensum abolere non possunt, quin homo sapere et Deum possit cognoscere. » Idem quoque S. Doctor a Glossa relatns, in alieno sensu ita exponit: « Habet finalem motum, id est, liberum arbitrium vulneratum et ad æternam vitam, quam perdidit, derat, redire non sufficiebat et ideo jacebat, quia vires ei propriæ ad surgendum non sufficiebant, » ut ad se sanandum, medicum, id est, Deum requireret. »

22. — Theophylactus a Glossa citatus considerat, quod quia ex corpore et anima compositi sumus, e quibus anima immortalis, corpus vero mortale existit, ideo semivivus dicitur homo post peccatum, « ita ut medietas hominis morti succumbat, » quia anima mortem sibi aeternam conciliat: « Per peccatum mors. » Albertus Magnus de peccatore ita scribit: « Postquam se demonibus subiecit per consensum et peccati actum, statim anima ejus morte spirituali trucidatur et nihil in eo vivum relinquitur, nisi corpus tantum. »

#### Additiones.

a. — *Suscipiens autem Jesus dicit: Homo quidam, etc.* Allegorice, homo iste adumbrat Adamum, seu genus humanum in eo, qui incidit in latrones, hoc est demones, qui spoliaverunt eum divina gratia, virtutibus et excellentia, et peccatorem effecerunt vulneribus. Hoc est enim solum opus demonis, cuius tota potentia in solo peccato consistit, sine quo nihil adversum nos facere prævalet. Et ideo Chrysostomus unicum, infallibile, et omnipotens contra universum infernum remedium suggerit, dum ait: « Unum solum custodi, ne occurrat tibi peccatum; » hoc enim est quod supplantat; præter hoc vero « nec ipse diabolus nos quidpiam ledere poterit. » Apostolus ad Corinthios, I, XII, 2, scribens, inquit: *Ad simulacra muta ducebamini;* ubi Hugo Cardinalis phrasim illam loquendi Apostoli notat, per quam innuitur quod instar irrationabilium bestiarum ligati, ad falsorum numinum cultum perducti fuerint: « Ducebamini a diabolo, quia omnis qui est in mortali, est jumentum diaboli, et per unum peccatum, quasi per capistrum duetur ad aliud; » juxta illud Proverbiorum, VII, 24: *Irrevocavit eum multis sermonibus et blanditiis laborum protraxit illum; statim eum sequitur, quasi bos ductus ad victimam, ignorans quod ad vincula stultus trahatur.* Ac proinde subjungit idem Hugo Psalmistam, *Psal. xxxi, saluberrime monere dum ait: Nolite feri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus;* « id est, non permittatis vos infrenari a diabolo; si enim sciret equus quod infrenaretur et duceretur in servitutem, non permitteret se infrenari; quid est ergo de misero homine qui illud sevit? »

b. — Qui Jerosolymis agebat dives et ornatus, ecce tibi cum primum descendit ab illo alto tramite vite, latrones adsunt, qui omnia ei gloriæ ornamenta præripiant. Peccator enim dum per peccatum in demonum potestate transit, divina gratia, virtutibus gratuitis et donis, uti gratia adoptionis et bonorum operum meritis, crudeliter exiit, spoliatur. Seu ut explicat Simon Cassianus, *lib. VI, cap. x:* « Descensus ab Jerosolymis aversio est a pace, a virtute, a quiete, a templo sacramentorum Dei. » Id est, ubi a Deo per pec-

catum discedit, statim descendit a suo honore, a suis divitiis, a pace, a quiete suæ conscientie, in magnam infamiam, miseriam et perturbationem, aliaque mala et anime damna. S. Ambrosius, *lib. de Paradiso, cap. xiv*, ad illum se reflectens diem quo Deus Adam interrogavit: *Adam ubi es?* inquit: « Quid est, Adam ubi es? Id est, non in quo, sed in quibus es? Non ergo interrogatio est, sed increpatio; quasi diceret: De quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam cecidisti? » Idem S. Doctor, in capite præcedenti eisdem foliis se vestientes considerans, dixerat: « Docet me Adam, quæ sint folia, qui posita tequam peccavit, de foliis ficus fecerit sibi succinctorium, qui magis de fructibus ejus gustare debuerit. Justus fructum eligit, folia peccator. Quis est fructus? *Fructus, inquit, spiritus, est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, dilectio.* Non habebat fructum, qui gaudium non habebat; non habebat fidem, qui prævaricatus erat mandatum Dei; non habebat continentiam, qui de interdico sibi gustaverat ligno. Ergo quicumque prævaricatur mandatum Dei, spoliatur atque nudatur. » Vultissime scire qualisnam fuerit hæc nuditas? Nimirum nuditas a divina gratia, cui proprium est hominem in oculis Dei facere gratum et acceptabilem; unde manserunt deformes, inimici et filii iræ, licet ad imaginem et similitudinem Creatoris plasmati fuissent; hanc enim adeo deformarunt ut Psalmista, *Psal. XLVIII, 13, dicat: Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Spoliati fuerunt jure quod habebant ad gloriam et condemnati secundum præsentem justitiam ad æternæ perditionis barathrum; perdidit illum amorem, quo antea Deum plus amabat quam semetipsum; spoliati sunt justitia originaria, quæ sensum reprimendi, illumque recte rationi perfecte subjiciendi virtutem habebat. Abjecerunt dona Spiritus Sancti, gratiam sanctificantem et merita hæcenus acquisita, nec non omnes thesauros, quos plena manu Deus in ipsis effuderat.

c. — Ex inopinitis latronum insidiis in hanc luctuosam calamitatem homo incidit et miseriam stragem passus est. An ipse tanto periculo sponte occurrat? Quid ergo mirum, si despoliatus omnibus divinis donis, gratisque sit, cum is qui amat periculum in illo disperat? Et quid est quod non ascendens, sed descendens, in crudelem latronum ferocitatem incurrit? Tempestive Rupertus, *lib. III in Gen.*, ait: « Non dixit solummodo: *Homo quidam incidit in latrones, sed descendebat, inquit, ab Jerusalem in Jericho, et tunc demum incidit in latrones.* Nisi enim descendere, non incidisset: quia videlicet nisi Adam superbiere, dati præcepti prævaricationem non incurrisset.

« Descendebat quia mente tumebat; tumore namque ascendere, veraciter descendere est, quia ubi mens elevatur, ipsa elevatione dejicitur. » Unde regius Vates ait: *Dejecisti eos dum alleverentur.* Superbia enim tumor est, non magnitudo, que sicut protopateres nostros duxit in præcipitium, ita et alios perfectos præcipitare nullo.

d. — Veniunt eadem via Sacerdos, Levita et iste homo, qui nec Sacerdos, nec Levita; sed solus iste homo, qui nec Sacerdos, nec Levita; sed solus iste homo a latronibus aggressus fuit. Quid hic causa subest? Sacerdos et Levita in ordine sacerdotali extabant, iste autem homo incidens in latrones, laicus erat, ut notat Hugo; cum autem illi essent Ecclesiastici, in tanto honore ac reverentia reputabantur, ut etiam inter fures et latrones securi degerent. Discite hic Sacerdotibus et statui Ecclesiastico debium honorem exhibere. S. Augustinus Valerio Episcopo, quoad honorem et obsequium Sacerdotibus præstandum, quo majus dari non potest, ita scribit: « Hoc honore nihil in hac vita præstantius et acceptabilius apud homines esse potest, nihilque apud Deum beatius, si eo modo in eo militetur, quo celestis ipse Imperator jubet. » Salvianus Episcopus Massiliensis optime proinde considerat quam male conveniat, dum quis est dignitate eminens et sublimis, alia vero ex parte, ob malas suas qualitates contemptibilis: « Nihil est turpius quam excellentem esse quemlibet culmine et despicabilem vilitate. Quid est dignitas indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito quantum gradu. »

#### VERSUS 31.

*Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præterit.*

1. — « Persona pertransiens cum duritia, » inquit S. Bonaventura, « fuit legalis justitia, quæ nec misericordiam, nec medicinam præstabat. » S. Augustinus pariter in eundem sensum allegorice ita scribit: « Sacerdos et Levita qui transeunt, sacerdotium et ministerium veteris figurant Testamenti, ubi vulnera languentis mundi monstrantur, sed non curantur. »

2. — Sensus horum verborum morealem Lyranus adducit, dum ait: « Sunt Ecclesiæ mali ministri, curantes tantum de levatione pecunie et non sanatione culpæ. » Hugo Cardinalis nimiam tum Sacerdotis, tum Levitæ, miserabili adeo spectaculo non commotum inhumanitatem, promptæ schismatici sive Samaritani, ejusque secularis charitati comparans, dicere non veretur: « Judæi naturaliter avari sunt et clerici avariores; quasi consueti semper accipere et nunquam dare. » Salmeron similiter Ecclesiasticorum redarguens tenacitatem, dicit: « Arguantur, quod minus sint misericordes

« et tenaciores in ope præstanda, cum tamen bona clericorum sint pauperum et non solum debeant occurrentibus egenis alacriter subvenire sed etiam ipsos pauperes et eorum delinquentes inquirere, et quoad possunt, eorum inopiam sublevare et propterea eorum inunguntur manus, dum sacris initiantur, ut misericordia affluant. »

3. — Deceptionem hujus populi Lucas Brugensis discit, utpote qui pietatis et misericordie opera, in quibus principalis salutis ratio consistit, pertransiant, solis sacrificiis et legalibus confisi observantibus: « Notat hic ac perstringit Salvator feram Sacerdotum Judaicorum inhumanitatem, fidem tum sacrificiis et caeremoniis, quæ vero præcipuum est, charitatem crudeliter negligentium. »

4. — Albertus Magnus per hunc vulneratum graviterque saucium, peccatorem intelligens, qui in demonum manus incidit, omnibusque bonorum operum meritis exutus fuit, nimiam redarguit in hoc pertransiente Sacerdote inclementiam, indicem eorum, qui ad sanandas in anima peccatorum plagas nullo charitatis instinctu moventur: « Multi etiam nostrorum Sacerdotum non curant sauciatos in peccatis, sed paucula illa, quæ a demonibus relicta sunt, temporalia tollunt et peccatorum vulnera non curant per sinceram Sacramentorum exhibitionem. »

5. — Diversas hujus facti, easque singulas notata dignas examinat circumstantias Toleus, dicens: « Nota verba, quibus Dominus hujus prætereuntes crudelitatem exprimit; Sacerdos enim erat, cui ex officio ac dignitate incumberebat misericordiam facere; rursus descendebat eadem via, sicut ille miser descenderat, si unus ascendisset et aller descendisset, poterat modo aliquo Sacerdos se excusare a subveniendo, nimirum ne iter suum interromperet aut reverti cogere, at non sic fecit; descendebat enim, sicut ille percussus, poteratque Sacerdos secum illum ducere sine iniuriæ detrimento; rursus etiam vidit, si enim non vidisset, culpa non esset. »

6. — Sacerdos hic, qui pariter de Jerusalem, civitate sancta, ad maledictam a Deo urbem Jerichontinam descendebat, a tempe profugus; clericos illos et malos designabat Ecclesiasticos, quorum major et irreparabilior solent esse casus, quia de loco corruptum eminentiori; at vero corruptio optimi pessima; et ideo omni se charitate, compassione et humanitate destitutum esse demonstrat.

7. — Sollicitaverit forsitan nonnemo, quare solus ille miser viator, non vero Sacerdos aut Levita in hac solitudine spoliatus fuerit, cum tamen omnes tres per eandem graderentur viam? responderi potest, prædones illos sacerdotalis et leviticæ dignitatis respectum habuisse, licet hi tali se prerogativa vere indignos præstiterint, utpote qui bonorum Ecclesiasticorum partes nequaquam adimpleverunt.

## Viso illo præterivit.

8. — Si Sacerdos casum hunc matura consideratione discussisset, indubie ad compassionem animum suum inclinasset, veraciter agnosceret, nullam esse miseriam tantam humanam, in quam non omnes et singuli, nisi divinitus præservemur, cadere possimus; hæc utique cogitatione motus tale sancto illi auxilium tulisset, quale sibi in simili necessitate constituto præberi optasset. Interpres quidam supra illam Sacre Scripture textum, prætereuntes blasphemabant, ita discurrit; isti in monte Calvarie carnifices, dicuntur « bene prætereuntes, quia si « stetissent, nunquam blasphemassent. » Ita pariter dico ego Sacerdos hic viator bene dicitur prætereuntes, quia si stetisset, misericordiam cum proximo fecisset.

9. — Supposito, quod hic vulneratus peccatorem designet, justo Dei iudicio a Sacerdotibus destitutus et derelictus fuit, in penam etenim acedia præterita in Sacramentis aut impie susceptis aut omnino neglectis, sæpe sapius permittit Deus, ut, quando maxima est Sacramentorum suscipiendorum necessitas, scilicet in mortis articulo, tunc Sacerdotes prætereant, id est, infirmus Sacramentis a Sacerdote conferendis omnino destituatur; nec immerito, quia per tot vite vestra annos, vocati et renisisti, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despectis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridere et subsannabo. *Prov.*, 1, 24. Sciendum insuper, miserum hunc ab illis ipsis destitutum fuisse, qui vi officii sui præ omnibus aliis obligabantur auxiliatrices ei manus præbere; ut sciamus, nos pariter justo Dei iudicio, ut primum per opera mala ei renunciaverimus, ab eoque recesserimus ab illis etiam derelinquendos esse, a quibus maximam præ omnibus aliis poteramus sperare in tribulationibus operi; præterquam quod omnis anima, concitiam adversus se habens iram Dei, odibilis sit creaturis omnibus.

10. — Distinctam a prioribus rationem adducit Hugo Cardinalis, quare nimirum alii viatores similiter non incidierint in horum prædonum manus: « Forte in societate erant et ille solus; propter « quod dicitur: *Væ soli, quia cum ceciderit, non « habet sublevantem se, Eccle.*, iv, 10. » Ex quibus in rem nostram hæc deducitur moralitas, quod scilicet omnes, qui recte et secure per viam spiritus incidere gestiunt, bonum debeant habere ducem, et non dirigere gressus suos juxta proprium arbitrium.

## Additiones.

a. — Accidit autem ut Sacerdos quidam descendere, etc. Magna certe crudelitas. Sacerdos erat, cui ex officio et dignitate, incumbat facere misericordiam, et vulnerato salutari medicina subvenire.

Væ autem talibus Sacerdotibus, qui in procuranda peccatis vulneratarum animarum salute, negligentes sunt. Apud Ezechielem, xxxii, Dominus dicit: *Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina et populus se non custodierit, veneritque gladius et tulit de eis animam, illi quidem iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Enimvero vera causa, propter quam Deus Sacerdotes ad sublimissimam, que in terris dari potest, dignitatem exerit, hæc est, ut scilicet omni cum industria et sollicitudine custodie animarum, quæ pretiosissimi ejus thesauri sunt invigilent. Ac proinde S. Bernardus nos monet dicens: « Attendite vobis, quicumque opus « ministerii hujus sortiti estis; attendite inquam « vobis, et pretioso deposito, quod vobis creditum « est. Civitas est, vigilate ad custodiam concor- « diamque; sponsa est, studete ornatui; oves sunt, « intendite pastui. » S. Gregorius pastorum exemplum adducens ait: « Studeamus cor nostrum « terrenorum pastorum imitatione succedere, qui « hiemales noctes, imbribus, geluque constructi, « ducunt sæpe pervigiles, ne vel una ovis, et non « forte utilis pereat. » Iterum legitur apud eundem Prophetam Ezechielem, iii, 18: *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* S. Gregorius quoque valde terribilem Ecclesiasticis ob oculos ponit propositionem; dicit enim, *Hom.* xi in *Ezech.*: « Super ea mala quæ propria habemus, alienas « mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad « mortem ire quotidie tepidi et tacentes vide- « mus. » S. Bernardus, in quodam sermone super « Cantica, *Serm.* lxxiv in *Cant.*, ait: « Boni Pasto- « res dormientibus subditis ipsi pervigilant, tan- « quam rationem pro animabus eorum reddi- « turi, pernoctant in orationibus, hostium insidias « sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, illudunt tendi- « culos, retiacula dissipant, machinationa frust- « rantur, cor suum tradunt ad vigilandum diluendo « ad Deum. »

b. — Sacerdoti incumbat ex officio ac dignitate facere misericordiam, cum ideo, ut Hugo inquit, inungantur manus Sacerdotum, ut fluant misericordiam. Væ talibus Sacerdotibus, cum ornamenta, ritus et ceremonie in ipsorum reverentiam institutæ subinde virtutes quibus illos præditos esse oporteat. Jam vero quemquam ornamenta S. Paulus in Prælati Ecclesiasticis requirit, ex sequentibus verbis sit manifestum: *Oportet Episcopum ornatum esse? quasi diceret: Quotiescumque Episcopus pretiosis admodum ornamentis indutus, altoque throno insidentes conspicitis, sciendum vobis est hæc omnia ad magna mysteria*

innuenda ordinata esse, nimirum ut per hosce ornatus, talibus Prælati commendet, vivaciterque inculcet et imprimal quam ad perfectionem majorem, virtutumque et sanctitatis lucrum tendendi habeant obligationem. Ac proinde S. Basilius monet dicens: « Oremus, ut qui præsent Ecclesiam, « quique duces sunt populi, non quidem testi- « ficationem reportent ab externo cultu, aut su- « perinvento corpori decore habitu, sed ab ipsa « veritate. » Porro vestes sacre throni, mitre, annuli, omniaque alia similia ornamenta mystica sunt, imo viva vox quedam sunt, Prælatorum auribus et cordi insonans, vivaciterque imprimens illis virtutes quas præfigurant.

## VERSUS 32.

Similiter et Levita cum esset secus locum et videret eum, pertransiit.

1. — Sacerdos, » ait Glossa, « Dei legem « annuntiat; descendit quidem lex per Moysen in « mundum, et nullam sanitatem contulit; descen- « dit Levita, qui typum ostendit Prophetarum, sed « et hic nullum sanat, qui lex peccata arguit; sed « pertransiit, quia indulgentiam non largitur. »

2. — Levita olim erant, quales hodie apud nos sunt Diaconi. Ecce tibi effectum pravum, quem in isto Levita, perversum causavit Sacerdotis exemplum: *Similiter et Levita;* nostra enim depravata indoles, malis potius quam bonis trahitur exemplis, præsertim si a Superiorum excessibus dimanent. Proinde Lucas Brugensis ait: « Qualis Sacerdos, « talis et Levita; minor sequitur majoris exem- « plum. » Aggravatur porro horum duorum defectus ex eo, quia scilicet uterque cultui divino dedicatus, debitum habebat charitatis et compassionis erga proximum, maxime eo tempore, quo ejus exercitium sine secularium scandalo intermittere non poterant; veruntamen sicut lumen eorum, ita et tenebræ. Iterum uterque de natione Hebraica oriundus erat, uterque de civitate veniebat Jerosolymitana, ubi prædicabatur et explanabatur lex illa charitatis Moysi a Deo data, de hove proximi et lacu extrahendo; si enim Dominus voluit subveniri proximi cuiuscumque hovi, forte fortuito in fossam cadenti, quanto verius præcepit subsidium ferri agonizanti, et insuper ab omnibus destituto homini? Ad rem nostram S. Bonaventura ita discurrit: « Et « hoc erat magis reprehensibile in Sacerdotibus et « Levitis, quam in aliis personis, propter quod dicitur: *Misericordiam volui et non sacrificium;* unde « iste Legis peritus dicitur dixisse: Diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holo- « castomatibus et sacrificiis. »

3. — Verbum *pertransiit*, Salmeron ad imitationem Glossæ in sensu allegorico ita interpretatur: « Dicuntur Sacerdos et Levita viso illo præterisse,

« quippe per legem cognitio tantum peccati et « infirmitatis habita est; et per illam neque peccati « remissio, neque sanitas collata est. Per legem « notus casus Adæ, spoliatio donorum ac vulne- « ratio, remedium tamen sperandum erat ab uno « Christo; namque impossibile erat, sanguine tau- « rorum et hircorum auferri peccata. »

## VERSUS 33.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordiam motus est.

## Samaritanus autem quidam.

1. — Autumat Jansenius, non sine magnæ rationis pondere Christum Samaritani ingessisse mentionem, utpote cum tota sua gente exosi apud Hebræos: « Præ omnibus gentibus Judæ maxime, Samaritanos, « avversabantur, sicut et illi Judæos, « ut a Samaritano minime expectanda videretur « tanta humanitas Judæo homini exhibita. » Ex quibus Didaeus Stella hanc elicit moralitatem, quod scilicet in pietatis et misericordie operibus erga proximum nunquam attendendum sit, cujus nationis aut indolis, quorum meritorum aut demeritorum sit homo ille, cui beneficium conferatur: « Tan- « tum præ oculis est habendus proximus, et ejus « necessitas; Samaritanus charitatem exerceat cum « suæ nationis et gentis inimico, ut discas proximo « in necessitate subvenire, etiamsi de te male locu- « tus fuerit, » etc. Concludit denique discursum cum hæc, necessaria scitu, distinctione: « Officium « justitiæ est, inquirere qualis unusquisque sit, « misericordie vero dolere et misereri pauperis et « proximi inopie. »

2. — Albertus Magnus, *Serm.* lxxvii, in diversis hujus Samaritani citandis economis sese occupat, ex una parte considerando beneficia ab eo in vulneratum collata, et inde ex altera parte totidem in particulari ad utilitatem nostram educendo moralitates. Primum erat, quod subito ad misericordiam et compassionem commotus fuerit, utpimum eundem miserum hominem vidit: « Igitur et nos, quia « peccatorum vulneribus sauciati sumus, rogare « primo debemus Dei Filium, creatorem nostrum, « ut circa nos misericordia moveatur. » Secundum consistebat in eo, quod accesserit et adhererit ei, ut extrema miseria laboranti succurrere posset; ita nos pariter Salvatore nostrum rogare debemus, ut appropinquet nobis cum misericordia sua, prout jam olim per assumptionem humanitatis nostræ visitavit nos. Tertium consistit in infusione vini in vulnera: « Rogandus est, ut vinum ferventissimæ « contritionis vulneribus animarum nostrarum in- « fundat. » Quartum relucet in effusione olei: « Supplicandum ei, ut oleum internæ consolationis, « cum vino contritionis effundat. » Quintum con- « sistit alligatio vulnerum: « Libenter suscinere

« debemus, ut alliget vulnera nostra ligaminibus » præceptorum suorum. » Sextum emittit in assumptione infirmi super jumentum : « Jumentum Domini est crux, tunc jumento suo nos imponit, quando nos reminisci facit et imitari amaritudinem passionis suæ. » Septimum comprehendit in conductione ad hospitium, per quod figuratur Ecclesia : « Tunc ducit nos in suum hospitium, quando participes facit omnium bonorum, quæ fiunt in Ecclesia per devotionem electorum : » *Particeps ego sum omnium timentium te. Psal. cxviii, 63.* » Octavum se extendit ad charitatem illam, qua impellente curam ejus habere gessit : « Tunc curam nostri agit, cum facit nos proficere de bono opere in aliud bonum opus; curam circa nos per hoc ostendit, quod nos Sacerdotibus Ecclesie committit, qui Sacramenta nobis ad salutem corporis et animæ fideliter administrant. »

**3.** — Potuisset equidem Samaritanus sub apparenti prætextu, sauciatum hunc subterfugere, dicendo : *Non contantur Judæi cum Samaritanis.* Judæi nauseant et fugiunt nos : nequaquam conveniens est, ut appropinquem et, qui me et nationem meam odio et horriore habet; excusare se insuper poterat, addendo : auxiliari tibi non ad me, sed ad Levitam et Sacerdotem pertinet, qui non tantum Ecclesiastici, sed et compatriote tui sunt, qui eandem pariter tenuerunt viam, si illi te dereliquerunt, consequens videtur, quod ad instar bestie mori merearis. Perpendi hæc circumstantias S. Ambrosius, *lib. VII in Luc.*, dum ait : « Non medicos iste Samaritanus, qui eum, quem Sacerdos, quem Levita despexerat, non etiam ipse despexit. » Potuisset etiam Samaritanus, sub prætextu periculi, cui se exponerat, subducere; restabat siquidem in eo deserto, cum præsentem in eosdem prædones incidendi timore, maxime cum auxiliaretur illi, de quo suspicari poterat, quod forte magnus esset horum assassinorum inimicus, a quibus proinde inimicitie potius, quam spoliorum cupiditatis instinctu taliter afflictus esset; has inter angustias magis magisque relaxit admiranda Samaritani virtus.

**4.** — Plurimum huic nos Samaritano debemus, ratione hoc salutarium dogmatum, quæ nobis in heretica hac operatione post se reliquit : « Edoce me, » inquit Didaeus Stella, « neminem despiciere, et semper vivere sancto quodam timore et humilitate; siquidem coram Deo plaris æstimatur charitatis et pietatis opera, quam litteræ, sapientiæ et religionis habitus; Deus autem dignitates aut personas non suscipit, sed perfectos charitate. » Levita quidem et Sacerdos Samaritano excellentiores erant in dignitate, eruditione et doctrina; ad Samaritanus utrumque vinebat in charitate. Docuit nos Samaritanus ille, quod opera misericordiæ non superficialiter, aut per modum

cæremoniæ, sed ex toto corde, omnique cum industria proximo sint impendenda : non enim sufficiebat Samaritano appropinquasse ad vulneratum, vulnera alligasse, de via amovisse, jumentum impositum ad hospitium duxisse, sed insuper pecuniis suis oleam, vinum et hospitium ei comparavit; imo ad reddendos stabulario sumptus sese obligavit, si quos forte, se absente, circa ejus curam facturus esset. Ex quibus idem Auctor talem elicit doctrinam : « Docetur etiam, ut non solum interno animi affectu moveamur, sed etiam ut ipsis operibus adjuvemus; hic motus misericordia est : pariter tamen manus liberales extendit. Multi sunt divites, qui misericordia intus moventur, loculos tamen claudunt. »

**5.** — S. Gregorius docet, sæculares mundanosque homines, in operibus charitatis perfectiores esse, ad condemnandum nos, qui divino servitio consecrati, plusque luminis adepti sumus : « Plebanaque actione secularium, vita continentium confunditur, cum illi ultra habitum assumant opera, et illi juxta ordinem proprium non excitant corde. » Samaritanus hic sine lege vivens, eos condemnat, qui legem indebite prædicant. Adhibet porro Auctor hunc Isaie, *xliii, 4*, textum : *Erubescit Sidon, ait mare;* « quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparisonem vite secularium atque in hoc mundo fluctantium, ejus, qui a munus et stabilis cernitur, vite reproborum. » Didaeus Stella hocce nobis documentum reliquit : « Oportet nos discere, qui aliis sanctiores haberi volumus, quippe professi sumus sublimiorem vite statum, ne forte militibus et publicanis deteriores evadamus. » Ecce Levitam et Sacerdotem, qui non tantum de civitate, sed etiam de templo sancto descendebant, in charitatis et misericordiæ operibus illico deficientes, nolentes misericordiam auxiliari seculari, quem schismaticum Deoque inimicum et adversarium esse arbitrabantur.

**6.** — Huic textui alia innititur ejusdem Auctoris sententia, dicentis, paucos admodum esse, qui datum de operibus misericordiæ, aliisque bonis actionibus præceptum, debite adimpleant : « Docet locus iste, quam pauci sint, qui veram regulam et normam proximi servent, et præceptum charitatis adimpleant; ex tribus unus solus misericordiam utitur; huc enim devenimus, ut illa tempora feliciora fuerint, quam hæc, quibus crudelitas et impietas erga proximos exerecet. »

**7.** — Hic opportunus, ex singulari providentia divina, factus misero illi succursus docet nos, quod Deus nullum omnino destituit aut derelinquit, imo quod omni expirante auxilium spe, maxime ipse et vicinissime præsto sit ut patet in præsentem; perturbanter enim isti sine compassione ulla, qui præ cæteris ad misericordiam proximo exhibendam obli-

gati erant, et ecce Dominus statim cor Samaritani ad misericordiam inclinavit, *Luc. xix, 40* et *ii, 8* : *Si hi tacerint, lapides clamabant; potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Israel.* Tunc divinam nobis opem vicinissimam spondere possumus, quando videtur esse solito remotior; *Psal. xxxiii, 19* : *Justa est Dominus his, qui tribulato sunt corde et humiles spiritu salvabit.* Lippomanus ait : « Ubi omnis spes desinit et humanum auxilium, tunc adest divinum. »

**8.** — S. Bonaventura sensui insistens allegorico, ita sermocinatur : « Persona subveniens ex misericordia, recte intelligitur Christus, quia Samaritanus interpretatur custos, ipse autem est, de quo in *Psalmo, cxvi, 1* : *Nisi Dominus custodierit civitatem.* Et *Isaia, xxi, 11* : *Custos quid de nocte?* » Hic venit secus vulneratum, quia in similitudinem hominum factus, et in similitudinem carnis peccati, adhibuit medicinam, et hoc per gratiam Sacramentorum, in quibus fiunt inunctiones sanantes vulnera peccatorum; adhibuit etiam vehiculum, scilicet per gratiam virtutum et donorum, per quam vehimur in stabulum Ecclesie, secundum illum, *Psal. lxxxiii, 6* : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit;* et hoc quidem fit in stabulo Ecclesie; unde subditur : *Elegi objectus esse in domo Dei mei.* »

**9.** — Lyranus in sensu morali per hunc Samaritanum, Prædicatores interpretatur et Confessores : « Samaritanus autem est Prædicator et Confessor : motus ex charitate, alligans vulnera sauciati per sanum consilium, infundens oleum misericordiæ et justitiæ vinum, et imponens illum in jumentum, quia non solum mente prebet auxilium, sed etiam prout potest corpore, quod est animæ jumentum, et ducit in stabulum Ecclesie, ubi datur pabulum verbi Dei, et Sacramenti Eucharistiæ. »

**10.** — S. Hieronymus, *Ep. ad Aglas*, Salvatore nostrum parabola huic, non sine magni ratione momenti, exemplum Samaritani admiscuisse advertit, inquires : « Dicit, Samaritanum in hac parabola poni pro signo et miraculo, quod malus benefecit. »

*Iter faciens, venit secus eum.*

**11.** — « Quia se propter nos constituit viator, » inquit Salmeron, « et hæc fuit potissima sui itineris causa, at non fortuita, ut fuit Sacerdotis et Levite, nempe ut *quereret et salvum faceret quod perierat.* » S. Thomas similiter de Christo hunc textum explicans, *Serm. in hac Dom.*, ait : « Christus propter nos homo factus est, vite presentis iter arripuit. »

*Et videns eum, misericordia motus est.*

**12.** — Hanc parabolam, vel forte historiam, licet

Christus principaliter recensuerit, ad ostendendum, quis sit proximus noster, nihilominus etiam juxta mentem Lucae Brugensis : « Hic plane docemur, non solum quis sit proximus noster, verum etiam, quo diligendus modo; primum enim omnium requiritur affectus misericordiæ et condolentia animi, ut existimemus aliorum calamitates ad nos pertinere. » Citat autem hic Auctor illum S. Apostoli, *Hebr., xii, 3*, textum : *Mementote victorum tanquam simul vincti, et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes.*

#### Adnotationes.

**a.** — *Samaritanus autem quidam iter faciens, etc.* Concors est Patrum sententia, per hunc Samaritanum intelligi Filium Dei, verum hominum custodem, jampridem a Jacobo et Prophetis vocatum. Sed qui fieri potest, quod Filius Dei terat viam hominis descendentes in Jericho et incidentis in latrones? Non id te moveat, nec tibi mirum videatur, ubi enim fuerit corpus, ibi et congregatur aquila, et ubi fuerit ovens, licet in recessibus terræ, et ibi Dei Filius novit appropriare. Imo inde se extollit Filius Dei beneficentia, quod nullum prætermittat horrores locum, dummodo in illo sit aliquis cui benefaciat; ad exemplum nostrum ut eidem similes fiamus per exercita misericordiæ opera.

**b.** — Samaritani parabola, qui tanta cum charitate infelicem illum hominem, a latronibus semivivum in via et sauciis relictum, curavit, docet nos tribuere in simplicitate secundum verbum Apostoli, *Rom., xii, 8* : *Qui tribuit in simplicitate, qui miseretur in hilaritate.* Erat infelix viator ille Jerosolymitanus; Sacerdos et Levita sine ulla misericordia desolatum hunc hominem præterierant; et licet Samaritanus quoque longe rationabilis excusare se potuisset, sub prætextu quod Judæi Samaritanis non contantur, prout lasciva illa mulier Samaritana Redemptori improperaverat, dicendo : *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me possis, quæ sum mulier Samaritana?* Non enim contantur Judæi Samaritanis. Attamen ad hoc Samaritanus ille non respexit, probe sciens, quod quando de exercendis misericordiæ operibus agitur, etiam inimici nobis sint proximi. Unde S. Bonaventura ait : « Si illi duo ejusdem generis erant, iste alienus. Ergo proximi nomen non solum se extendit ad propinquos, verum etiam ad extraneos. Unde Beda juxta litteram ait : Patet quod alienigena Jerosolymitano, cui misericordiam impendit, proximior fuit quam Sacerdos et Levita gentis ejusdem. Patet etiam quod proximitas magis attenditur penes naturalem dilectionem et compassionem, quam penes carnalem cognationem. Unde Ambrosius ait : Cognatio non facit proximum, sed misericordia, quæ in misericordia secundum naturam

« est, quam naturam juvare consortem. » Idem Seraphicus Doctor, super illa verba : *Vade, et tu fac similiter*, inquit : « Ut omni homini misericordiam impendas, si vis esse vere misericors, quia dicitur : *Misericordia Dei super omnem carnem*, id est, quae ex Deo procedit; Dei namque misericordia ad omnes se extendit. » Abulensis ait : « Etiam si malis misericordiae opera impendamus, beneficimus, ita enim Christus hortatur : *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est, qui a solem suam oriiri facit super bonos et malos*. Matt., v, 45. » D. Chrysostomus rem hanc sequenti explicat aptissima similitudine, inquit : « Portus est in necessitate constitutorum homo misericors. Portus autem omnes, qui in naufragium incidenter, excipit, liberatque, sive mali fuerint, sive boni. Denique quicumque fuerint, qui periclitantur, in sinus ille suos excipit. »

c. — Allegorice, praeterierunt Sacerdos et Levita, ex semine Aaron, cum suis perversis sacrificiis ac ritibus; minime homini gravissime cæso, medicamen attulerunt. Accessit vero Samaritanus, id est, custos, hoc est, Christus Dominus hominum custos, et misericordia motus, homini jacenti ac mortifere vulnerato, praestitit medicinam oleo et vino sacramentissimi sui sanguinis. Deus genus humanum ab aeterna morte suscitare volens, primo Moysen una cum lege scripta in hunc mundum misit, sed frustra, quia nihil ad perfectum adduxit lex. Heb., vii, 19. Et ideo ipsemet in hunc mundum venit : *Et homo factus est*. Venit inquam in propria persona, seque Virginis Matris suae castissimo utero includit; ibidemque infinitam immensitatem suam nostrae medicitati committens adoptavit, perque triginta trium annorum decursum obambulans : *Pertransiit beneficiando et sanando omnes*; Act., x, 38; mysticum Ecclesiae suae corpus paulatim doctrinae Evangelicae igne calefecit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendantur?* Luc., xii, 49; dumque sibi minime satisfactum esse credebatur, per hoc, quod damnationis nostrae chirographum in cruce delevisset, divinaeque justitiae, pro summa peccatorum nostrorum infinitate abundanter satisfecisset, quod item Sacramenta instituisset, atque in Caelum sanguine suo adaptatum, terram, id est, humanam naturam nostram intulisset, cum inquam haec omnia, minime arbitraretur sufficere, insuper ad nos per thesaurorum gratiarum copiam vivificandos, ad nos per thesaurorum septemque donorum suorum plenitudinem mittere voluit Spiritum Sanctum. Jam vero quia sibi post grandissimum redemptionis nostrae negotium, ad Patrem redeundum esse optime noverat : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, et ego ad te venio*, Joan., xvi, 4, aptissimum quemdam modum, quo nobiscum hic in terris, in Sacramento videlicet Eucharistiae, quod instituit, manere pos-

set; excogitavit, ut hoc pacto, non solum nobiscum remaneret, verum etiam ob amorem nostrum quotidie in sacrificio incrento a Sacerdotibus offerri posset; ac proinde S. Bernardinus his verbis optime meditatur : Quasi non sufficeret amoroso Jesu ad inebriatam amoris sui ostensionem, quod semel sanguinem suum sacrum pro nobis realiter effuderit in ligno, nisi nobis quotidie effundat sub Sacramento. *Ece ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*. Matth., xxvii, 20.

#### VERSUS 34.

*Et appropians, alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum et curam ejus egit.*

#### Et appropians.

1. — « Propius accedens, » ait Jansenius, « per suam nobiscum conversationem. » Hebr., i, 1 : *Olim loquens Patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio; in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. Baruc., ii, 38. S. Augustinus pariter de Christo interpretatur, dicens : « Compassionis nostrae susceptione finitimus, et misericordiae collatione vicinus. »

2. — Lucas Bruggensis fusius nobis explanat, in quo consistat illa ad proximum approximatio : « Manum admoveat, vulnera alligat, et quod necessitas poscit, quodcumque potest, ipse facit, omnia quae habet, miseri usibus concedit. » De jumento suo descendit, et saucium ei superimponens, ipse pedester graditur : « Neque impensis, neque laboribus parit, tam absens quam praesens providet egenti. » Haec et similia imitando, vere appropians proximo nostro.

#### Alligavit vulnera ejus.

3. — Multa nos fortuito ascribimus eventui, quae tamen omnia infallibilis Dei providentia taliter futura ordinat, praevidet et prospicit, id quod in hoc quoque Samaritano adimpletum fuisse, docet Origenes, *Hom. xxiv in Luc.* : « Ut autem scias, quod juxta providentiam Dei, Samaritanus iste descendit, ut curaret eum, qui incidit in latrones, manifeste doceberis ex eo, quod secum habebat alligaturas, secum oleum, secum vinum. » Inspiraverat Samaritano Deus ut omnia illa secum portaret, quae in subsidium miseri illius necessaria deserviebant, et sine quibus in vasta illa solitudine mortuus esset, *Psal. cxlvi, 3 : Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum, qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat*. Non defuit, qui Samaritanum hunc operibus misericordiae vacandi consuetudinem habuisse, pie contempleretur, ideoque illas secus fascias deportasse. Vel etiam dicere possumus, in praesenti locum

habuisse illud Domini praecipuum : *Scindite corda vestra*. Motivo scilicet misericordiae et compassionis erga proximum; ita namque de Samaritano dicitur : *Misericordia motus, appropians alligavit vulnera ejus*; hoc est : Non habens alias secum fascias, nec linum, rupit, divisit, laeravit proprium, quod in dorso portabat indium, ut alligaturas haberet in medelam vulnerum proximi sui.

4. — Insigne ex hoc Samaritano facto, pietatis documentum elicit Didacus Stella inquit : « Doceatur, ut vulnera et ulcera pauperum non sint nobis taedio, nec fastidium nobis generent, quemadmodum multis, qui ut illa non videant, oculos et capita retorquent; Samaritanus appropians alligavit, nam si perfecta charitate es munitus, propriis manibus pauperem debes tangere et alligare, Christum sequens percussum et vulneratum, ut animae tuae vulneribus ipse medetur. »

5. — S. Thomas ita interpretatur : « Sacramentorum ad salutem peccatorum institutio alligavit vulnera ejus. »

6. — S. Bonaventura autem in hac vulnerum ligatura, observantiam existimat denotari praecipuum : « Nota, quod Dominus ligaturus, scilicet decem praecipuis, hominem ligat sicut vulneratum, ne in vulneribus moriatur. »

7. — Salmeron in sensu morali verba illa de prolaparente et corrupta natura nostra explanans, inquit : « Hoc fuit alligare, non quidem auferre, sed comprimere concupiscentias, illasque ut vinci possint, mitigare; atque hoc praestitit per legem novam, vim ligandi habentem, nam lex a ligando dicitur; vincula illius ligatura salutis. »

8. — Jansenius pariter quidem de Christo, sed cum alio ad eum respectu exponit : « Mox cepit obligare vincula nostra vinculo doctrinae et gratiae suae. » S. Augustinus denique ita discurrit : « Alligavit vulnera ejus, peccata redarguendo cohibuit. »

#### Infundens oleum.

9. — S. Ambrosius, *lib. vii in Luc.*, mentem suam ad diversa quae Samaritanus adhibuit remedia extendit, inquit : « Multa medicamenta medicus habet iste, quibus sanare consuevit, sermo ejus medicamentum est; alius ejus sermo constringit vulnera; alius oleo fovet; alius vinum infundit; constringit vulnera austeritate praecipui, fovet remissione peccati, sicut vino compungit denuntiationes judicii. »

10. — Ad charismata Sancti Spiritus locum hunc transfert S. Thomas : « Gratiae Spiritus Sancti infusio, infundit oleum. » Videtur autem Angelicus Doctor illa Ecclesiae respicere verba quibus Spiritum Sanctum nominat unctionem spiritualem : « Spiritus unctio. »

11. — Effectus et proprietates olei discutens

Salmeron per liquorem istum intelligit gratiam divinam : « Oleum etiam ad usum lucis, et ad ungendum lactiores, et ad cibos, quos edimus, preparandos, solet deservire; et talis est divina gratia, Christi sanguine empta, quae illuminat contra ignorantiam, et adjuvat contra imbecillitatem, et dulcescere facit cordibus nostris praecipua Deum. »

#### Et vinum.

12. — S. Augustinus utriusque hujus liquoris infusionem in sensu morali ita interpretatur : « Infundit oleum, dum poenitentibus tribuit spem, dicens : *Poenitentiam agite, quia appropinquat regnum caelorum*; infundit vinum dum peccantibus terrorem poenae incutit Dominus, dicens : *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* »

13. — S. Gregorius pariter a sensu litterali ad morale transit, dum inquit : « Per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur, miscenda est lenitas cum severitate; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens; sit pietas, sed non plus quam expedit. »

14. — Chrysostomus etiam vinum et olei considerationi intentus, in vino sanguinem contemplantur Redemptoris : « Vinum, id est, sanguinem passionis et oleum chrisimatis, quibus et delictorum vulnera curantur et sanctificationis tutela praestantur, ut indulgentia daretur pro sanguinem, sanctificatio conferretur per charismatis unctionem. »

15. — Salmeron non omnimodo dissimilem a Chrysostomo discursum format, dum per duos hos liquores, effusum pro nobis Christi sanguinem intelligit, dicens : « Quatenus dolorem et timorem incutit, vinum est, quia de beneficiis Dei etiam timendum, et quo majora, eo magis trepidandum est nobis ne ingrati inveniamur : est ergo vinum, quatenus poenitentiam elicit, et obedientiam legit, et limitationem suae mortis a nobis exigit; oleum vero liniens est, quatenus remissionem peccatorum, et spem vitae aeternae, et amorem, atque in adversitatibus consolationem et patientiam tribuit. »

16. — Divinum hunc Samaritanum oleo et vino convenientissime instructum esse perpendit Jansenius, dum ait : « Gratiae Spiritus Sancti infusio, infundit oleum, quae solus ille secum in via assumpsit, ac nobis infundere potuit, hoc est, gratia et charismatibus Spiritus Sancti, ac sui sanguinis effusione nos curans; haec enim recte per oleum et vinum quae intollexit; in quibus etiam duabus materis, omnia pene Sacramenta, quibus curamur, consistunt. »

#### Et imponens illum in jumentum suum.

17. — Juxta S. Augustini sententiam : « Jumen-

« tum caro ipsius est, » scilicet Christi, « in qua ad « nos venit, in quam sancium imponit, quia peccata « nostra portavit in corpore suo; imponi jumento, « est in ipsam incarnationem credere. »

**18.** — Theophylactus etiam, nomine jumentum corpus designari existimat, dicens: « Imponit in « suum jumentum, hoc est, in corpus suum; mem- « bra namque sua nos fecit et participes corporis « ejus. »

**19.** — S. Ambrosius dicit: « Jumento imponit, « dum peccata nostra portat, et pro nobis dolet; « homo enim jumento similis factus est. »

**20.** — Observat Salmeron in itinere suo non qualecumque animal, sed notanter jumentum conduxisse: « Jumentum a juvenando, quasi juvenem- « tum; et significat innocentissimam carnem Do- « mini, quam assumpsit, ut eam sacrificaret pro « delictis nostris et in qua onera peccatorum « nostrorum portaret. »

#### Ducit in stabulum.

**21.** — « Stabulum est presens Ecclesia, » inquit S. Augustinus, *lib. II quæst. Ev.*, « ubi reficiuntur « viatores, in æternam patriam redeuntes; imposi- « tus jumento in stabulum ducitur, quia nec nisi « baptizatus, nisi corpori Christi adunatus Eccle- « siam intravit. »

**22.** — Lucas Brugensis insistens sensui litterali, negat, nomine stabuli accipiendum esse stabulum strictè dictum sed: « Diversorium hospitium, quod « *pandochion* græce dicitur, quasi quorumvis sus- « ceptaculum, latine *stabulum* a stando, quod « viatores ex itinere fessi, illie stent. » Eandem quoque opinionem sustinet Albertus Magnus, dum ait: « Ecce beneficium hospitalitatis, stabulum a « stando dicitur; et significat Ecclesiam, in quam « penitens introducit per penitentiam. »

#### Et curam ejus egit.

**23.** — Circa hæc verba S. Augustinus conformiter prædicti, ita sermoinatur: « Curam egit, « ne neger præcepta, quæ acceperat, dimitteret. »

#### Additiones.

**a.** — *Et appropians, alligavit vulnera ejus, etc.* Quod iste homo asportaverit secum vinum et oleum, facile intelligitur, vinum pro potu, oleum pro cibo. Sed unde in deserto habuerit alligaturas queritur. Respondet pulchro morali documento Chrysostomus, *Hom. super hoc Evang.*: « Teguntur vulnera « quæ fuerant ante denudata; jam cœlesti Medico « confossa loca ligantur, ut infra semetipsa reti- « nentia medicinam, operante medicamine pris- « tine sanitati reddantur. » Ut semimortuo medi- camen ac sanitatem conferret, divinus Medicus ejus vulnera linteamentis tegit, nam si vulnerum ac peccatorum cicatrices discooperirentur, ac propa-

lantur, magis obdurescunt et deteriora fiunt. Crimi- num enim divulgatione sepe impudientes redduntur homines, cum jam proprium honorem ac reputationem parvi pendunt, unde correctio quæ est medicina spiritualis debet esse secreta. Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. *Matth.*, xviii, 15. Quare correctio hæc faciendâ est inter correptorem et corrigendum solum? Doctor Angelicus respondet: « Quia « ista correctio fit ex charitate; ideo attendenda « conscientia, et bona, et bona fama corrigendi. Si « ante omnes corrigis, famam ejus tollis. » S. Hieronymus aliud quoddam notabile punctum tangit, dicens: « Corripendus est frater seorsum, ne si « semel pudorem et verecundiam amiserit, rema- « neat in peccato. » S. Thomas auctoritatem quamdam adducit S. Augustini qui hæc verba exponens ait: « Studens correctioni, parens pudori. Forte « enim præ verecundia incipit defendere peccatum « suum, et quem vis facere meliorem, facis pejo- « rem. Sed ad hæc tenemur per præceptum chari- « tatis, ut caveamus, ne frater deterior efficiatur. » S. Bernardinus eandem doctrinam a S. Augustino didicit, ita enim scribit: « Peccator enim, quando « statim coram aliis increpatur, excusare se solet, « aut indignari, seu sua crimina defendere; per « talem autem secretam et charitativam correctio- « nem parit illius confusio et ostenditur sig- « num charitatis, et per consequens, talis modus « magis est retractivus a malo, ac magis inductivus « ad bonum. »

**b.** — Samaritanus charitate vulneratus, suum commodum, suumque iter contemnit, et quæ se- cum ad viaticum ferebat, vinum scilicet et oleum, bonam eorum partem in homine curando impendit. Non præterit ex adverso, ut fecerunt Sacerdos et Levita; sed proxime accessit ad saucium. Et quia vera misericordia, ut ait D. Bonaventura in opere declaratur, non solum ostendit affectum, nec verba profert, non querit, quomodo illud contigerit, sed totus in pietatis negotio intentus, accedens, manum admovit et obligavit fasciis vulnera, partim etiam ut ipsis compressa, medicinam retinerent, facilius quoque coalescerent. « Confossa loca, » ait S. Chrysostomus, « ligantur ut intra semetipsa reti- « nentia medicinam, operante medicamine, sanitati « reddantur. » Quis itaque hic non admiretur singularem Dei providentiam, qua derelicto saucio succurrit per Samaritanum? Et eam quidem amplius in eo, quod secum in promptu habebat fascias pro vulneribus alligandis, in loco horrido et vaste solitudinis? Quo tanta ipsius scilicet Dei providentia, hic clare adumbratur, ut non solum tanquam nutrix, sed et veluti mater provideat; et ita quidem singulis in particulari, quomodo universim omnibus providet.

**c.** — In hac hominis Samaritani pietate, nulla

ipsaque eximie prælustria effulgent, expositione et commendatione dignissima; illud tamen maxime prædicit S. Joannes Chrysostomus, quod prætereuntium exempla minime insecutus fuerit; sic fatur: « *Accidit ut Sacerdos.* Quin etiam si alii hoc « fecerint, ne tu feceris. Ne dixeris apud temetip- « sum: Homo sum mundanus, uxorem et liberos « habeo; ista Sacerdotum sunt, ista monachorum; « neque enim Samaritanus hæc dicebat. » Sed mira pietate et misericordia hunc miserum prosecutus, alligavit vulnera infundens oleum et vinum, memor illius Sapientis consilii, *Prov.*, iii, 3: *Misericordia et veritas non te deserunt*; quæ tunc deserunt te, cum proximum in necessitate jacentem deseris. Igitur Samaritanus non contentus interiorum animi affectum et misericordiam erga vulneratum gerere, eandem ipsi operibus perfecti et publicavit, docens hocce suo exemplo, quod in omni vocatione fieri possit charitatis exercitium, quo mediante lucrum cœlestem gloriam.

**d.** — *Et imponens illum in jumentum suum, etc.* Hæc sunt beneficia, quæ Samaritanus in spoliatum et vulneratum contulit, ex quibus oportet eos qui aliis sanctiores esse volunt et haberi, discere; ne forte militibus, Publicanis et Samaritanis deteriores evadant. Videt hic Sacerdotem et Levitam ex populo Judeorum electo, qui sanctiores judicabantur, uti et esse debuissent, tamen nihil charitatis, nec misericordiæ in ipsis inventum est. Samaritanus vero, qui natione erat Gentilis, idololatra; quique nullam habebat cognitionem Dei et a Judæis contemnebatur; hic inquam, Judæis melior evasit. Et quidem non melior quibuscumque, sed Sacerdotibus et Levitis, in loco vaste solitudinis, inter mera pericula maxime charitativus existens. Ut hinc evidenter colligere liceat, quod nec locus, nec status secularis, virtutis exercitio, aut sanctitatis lucro præjudicat, aut obstat. Sic nimirum in statu etiam seculari humana prosperitatis merita acquiri possunt paria iis qui in perfectiori statu vivunt. David Rex Israel, regio insidens throno, ad excipiendos subditorum causas querelasque expositus publicis- que expediendis intentus negotiis; ille inquam qui frequenter militia assistebat, bello personaliter præerat, asserit nihilominus incolam se esse eremi: *Eccc elongavi fugiens et mansi in solitudine.* S. Francisca Romana quamvis tota proclivis esset ad vitam religiosam, Deus tamen, mediante Confessario, ei significavit divinæ suæ esse voluntati conforme, si nuberet et in statu conjugali ei serviret. Obedivit illa, regimen domus et familie conjunxit cum solitudine mentis, cui sæpe ipsa vacabat. Job multorum statuum dominus erat et princeps, plurimos sub se habebat subditos, Deus insuper specialiter ei benedicebat, dederatque numerosam familiam, solitudines tamen sibi edificabat: *Nunc siletem et requiescerem cum regibus*

*et consiliis terræ, qui adfuerint sibi solitudines.* *Job.*, iii, 13. S. Philippus Nerius continuo visitabatur a Cardinalibus aliisque Prelatis, qui ad ipsum tanquam ad oraculum recurrerant; nihilominus nihil prorsus de sua interna mentis recollectione et solitudine remittebat, imo eminentis sanctitatis lucrum facit in mundanae generationis gentilis.

**e.** — Non reliquit Samaritanus miserum hominem in eo loco, sed manibus sublatum a terra, imposuit eum in suo jumento, seu ut legit Arrius, in proprio jumento, a quo ipse descenderat; et sic pedes incedens, jumentum freno prehensum, duxit in stabulum. Itane qui summæ charitatis leges et regulas omnes perfecte adimplet, adeo improvidus est, ut semimortuum ad animalium stabulum deducat, ubi ex fœtore eorum, facillime expirare poterat? Satius in molli culcitra reclinatum et in suavolente cubili collocasset, quo sic suavissimo aromaticarum specierum odore, debilitatas vires restaurasset? Verum non sine mysterio in stabulum duxit; infelix enim ille homo sic a latronibus despoliatus, peccatorem quemlibet figurabat, quem piissimus Samaritanus Christus, ideo in stabulum duxit, ut recognosceret se per peccatum bestias assimilatum et comparatum, quorum propria habitatio stabulum est. « Vere namque sordida luxurio- « saque vita, » ut ait S. Gregorius Nyssenus, « ex « corrupto festidogue limo passionum profecta, « dubium quoddam animal est: homo natura « est; quia vero ita vivit electione, pecus pecude- « que sordidus. »

#### VERSUS 35.

*Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: Curam ejus habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.*

#### Et altera die protulit duos denarios.

**1.** — « Sed non vacat Samaritano, » inquit S. Augustinus, « diu in terris degere; redeundum « erat, unde descenderat; itaque altero die, id est, « post resurrectionem suam, quanto amplius eter- « næ lucis splendor, quam ante passionem effulsit « in mundo, protulit duos denarios, id est, duo « Testamenta, in quibus æterni Regis nomen et « imago continetur. » S. Bonaventura ad quantita- tem solutionis se reflectens, ait: « Parvam pecu- « niam protulit, quia fortassis parvam habebat, « secundum illud, *Tob.*, iv, 9: *Quomodo potueris, esto « misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tri- « bue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum imper- « tiri stude;* et quia quamvis modica esset pecu- « nia, magna tamen erat subveniendi voluntas, « ideo subditur: *Curam illius habe et quodcumque « supererogaveris, etc.* »

**2.** — Salmeron ex hoc duplici denario obligatio-

nem et debitum elicit Prælatorum et superiorum Ecclesiasticorum : « Præpositis ad bene gubernandum dedit duos denarios, id est, potestatem Verbi et Sacramenti, vel intelligentiam novi et veteris Testamenti, quæ eandem Dei imaginem referunt et secundum quam, Ecclesiam regere debent; vel dilectionis et proximi præcepta, sine quibus nemo bene gubernat. »

*Et dedit stabulario.*

3. — S. Augustinus per stabularium Apostolos intelligens, dicit : « Id est, Apostolis dedit, quia tunc illis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas. » Origenes quoque, *Hom. xxxiv in Luc.*, stabularium vocat : « Ecclesie præsidens cui dispensatio credita est. »

*Et ait : Curam illius habe.*

4. — « Hoc dictum est, » ait Salmeron, « Petro, et in illo, et per illum, in consecratione, omnibus Episcopis dicitur. » Quamdiu divinus Samaritanus ipse nobis presens aderat, vulneribus peccatorum nostrorum sanandis sollicitè invigilabat, *Joh., xvii, 12* : « Cum essem cum eis, ego servabam eos usque ad diem resurrectionis, sive ascensionis; nam ille est dies alter a passione, et tunc protulit duos denarios, quos dedit stabulario sive hospiti, hoc est, Petro Apostolorum Principi et Ecclesie Pastori, cui ad litteram post resurrectionem data est tanquam Pastori, cura ovium Christi; et in eo intelligendus est omnis ordo Prælatorum. » Considerat, quod sepe sæpius per fragilitatem nostram in priora peccata relabamur et consequenter iterum a latronibus infernalibus spoliemur; propterea : « Congruum erat, ut tantæ sapientiæ medico spiritualiter relinqueret. » Insignem horum verborum contemplationem, nobis post se scriptam reliquit, in Epistola ad Eugenium Papam, S. Bernardus inquit : « Audisti, curam illius habe, non cura, vel sana illum; verum dixit, quidam non est in medico, semper releveletur ut æger. » Fac tu quod tuum est, nam Deus quod suum est, absque tua sollicitudine et anxietate curabit. »

*Et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.*

5. — S. Augustinus hujusmodi desuper discursum format : « Supererogat Apostolus, cum dicit : « De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do; supererogat, cum non utitur potestate accipiendi necessaria; rediens in iudicio reddet, dicens : Quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. » Notandum vero occurrit, Samaritanum hospitio certum dedisse duorum denariorum pretium, pro laboribus transactis; ad pro impendendis certam indefinite promississe satisfactionem : Quodcumque supererogaveris;

ratio differentie hæc est, quæ sunt præceptorum adimplendorum gratia, suam habent limitatam mercedem; at opera supererogationis merces manet indefinita et illimitata. Differentiam porro, quæ inter hæc præcepti et consilii opera intercedit, hæc nobis tradit Salmeron : « Erogat, qui sibi talenta credita distribuit; supererogat, qui amplius quam accipit, impendit, id est, qui præceptis Christi adjungit Ecclesie mandata, et illa pro tempore, et loco, et personarum ratione constituit, pro melius serventur divina et Evangelica decreta, præscriptisque Domino adjungit consilia. »

6. — Neque obiter consideranda erit hæc in subventionem miseri, tanta Samaritani liberalitas, nullum enim sanationis aut sollicitudinis definit pretium, sed : Quodcumque supererogaveris; non obstante, quod de natione oriundus esset veræ religioni inimica; ecce tibi eleemosynarum, etiam a malis secularibus factarum utilitatem, dum tales Dominus gratiose illuminat et in veræ cognitionis viam reducit.

**Additiones.**

a. — *Et altera die protulit duos denarios, etc.* Quod stabulario promisit, supererogatur redditurum, effectus eximie charitatis Samaritani in vulneratum fuit, quam maxime sequentibus verbis commendat Bachiarus, dicens : « Magister noster a latronibus vulneratum, non solum cura dignum judicium, verum etiam ad stabulum suum restituit; ac datis stabulario duobus denariis, majus ei præmium pollicetur. » Ex vi sui eximii amoris, Samaritanus, id est, Christus, sollicitus fuit de homine miserimo, atque ad ejus curam protulit duos denarios, qui gratiam in presenti, et gloriam in futuro designant, quam acquirunt, qui cum hoc vulnerato patienter corporis adversa tolerant. Nam infirmilates corporales divini amoris signa et indicia sunt, multaque bona conferunt. Illis compati et condolere solemus, qui tribulationibus et adversitatibus vel maxime preannunt; at decipimur, quia Deus amando justos, eos instar auri in fornace tribulationis vult mundari in hac lacerarum valle : « Cave, » dicit Eusebius, « ne in arena mundi, in quam ad subeundos labores missi sumus, aliquam felicitatem expectandum putetis. » Malum signum est si nobis prospera obtingat fortuna. Sane æternæ retributionis obtinenda signum non est, quæ indissolubile cum ærumnis et adversitatibus habet connexionem. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum colorum. Ubi advertendum, Salvatore non dicere, expedit, decet, sed oportet. David homo erat secundum cor Dei : Inveni hominem secundum cor meum; jussit quadam vice, aut ex instinctu vanitatis, aut certe ut regni sui vires et potentiam haberet perspectam,

lustrari et numerari totum sibi subjectum populum; quia propter Deum graviter indignatus, ei intimari fecit, ut unum e tribus hisce eligeret flagellis, nempe, vel persecutionem, aut famem, aut pestilentiam. Et quia hoc ultimam elegerat, quam ferociter lues pestifera in totum sævierit populum cunctis notum est. Verum numquid Cæsar Augustus, totius mundi monarcha, jussit describi ac annumerari omnes suos subditos? Et tamen non constat, illum fuisse castigatum. Responsio in promptu est : Deus noster quem titulo Patris honoramus et vocamus, flagellat omnem filium quem recipit. Ex hoc filiorum Dei numero non erat Augustus.

b. — Vere pius, vere misericors fuit hic Samaritanus. Tam absens quam præsens providet indigenti, et non relinquit eum hospitis expensis curandum, sed de suo profert, ut ei ministraret. Securus hic esse poterit in extremo die Judicii, in quo processus præcipue circa opera misericordie instituetur, quibus se electi tuebuntur; eorum vero omissio reprobis in damnationem cedet. De S. Elisabetha Hungariæ regina refertur, quod cum ei hospitalia sæpe frequentanti, infirmisque ibidem decumbentibus, magna cum charitate et compassione inservierit, pium hoc ministerium a pedessequis suis dissuaderetur, ipsa eas responso adequato compescuerit, imo ad se sequendam et imitandam stimulos addiderit, dicendo : Ego me dispono et præparo ad diem judicii, ut examinanti me Judici apte respondere possim; dictura enim sum Christo : Recordare quod tibi in hospitalibus infirmanti tanta cum charitate inservierim, ut pedessequæ meæ ab hoc pietatis officio me revocare conatæ fuerint. Porro quod judicandi de sola sint misericordia examinandi, an scilicet eandem adimpleverint, et circa quos, an vero eandem neglexerint, hujus veritatis plenæ sunt antiqui et novi Testamenti pagine. Et certe si in illa die congregares omnes eloquentissimos totius mundi oratores, advocatos idem celeberrimos, sanctos quoque Paradisi efficacissimos, causam tuam in illo tribunali nulla ratione tuæ, vel ab inexorabili Judice gratiam quantumvis minimam obtinere posses. At vero, si tecum habere poteris pauperulum aliquem a te sublevarum, vel infirmum sollicitè a te curatum, vel vincitum in carcere a te visitatum, hi utique efficacius et potentius te juvabunt, quam omnes mundi thesauri, omnesque cœlites Paradisi. Auscultemus igitur illud salubre Tobie, iv, 7, consilium : *Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Ast quia mendicis se excusare poterat, eo quod inops ipse alienas non posset sublevare necessitates, vel infirmus, quod aliis servire non posset, ideo subdit Tobias, inquit : Quomodo potueris, ita esto misericors. Deus enim non tam manus quam cor*

respicit, dicente S. Gregorio : « Ante Dei oculos, nunquam est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. » S. Bernardus addit : « Dens indubitanter tribuit bonæ voluntati, quod deficit facultati. »

**VERSUS 36.**

*Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse, qui incidit in latrones.*

1. — Isidorus Pelusiota pluribus docet, qui in presenti per proximum intelligendus fuerit : « Proximitas natura æstimatur non virtute, substantia non dignitate, compassione non loco, curationis modo et non loci perpetuitate; illum namque arbitrari proximum, qui tui maxime indiget, et sponte tua ad auxilium ei ferendum accede. »

2. — Hanc questionem format sapientissimus Magister, volens, ut Samaritanus ex hisce tribus designet eum, qui vere illius vulnerati proximus fuisse dicendus sit, quatenus ita ore proprio seipsum condemnat, suamque reprobat opinionem, vi cuius tenebat, solos sue nationis homines, Judeos scilicet, proximos denominandos esse. Et ideo Salmeron ait : « Dominus hac parabola indicat, proximum non concludi Judaicæ gentis angustis, sed quemlibet hominem hac appellatione comprehensum esse. »

3. — Advertit Theophylactus, ipsum, qui Legisperito loquebatur, eundem fuisse, qui nostram coagulaverat naturam : « Salvator, quoniam conditor ipse erat, sciens nos omnes unam creaturam, non operibus neque dignitatibus, sed natura definit proximum; omnes enim inquit, qui ejusdem naturæ sunt, proximi tui sunt. » Scriba autem nec Sacerdotem, nec Levitam, hujus vulnerati proximos censebat esse compellandos, ratus proximitatem non a personarum dignitate, non a nationum diversitate, neque a prudentum scientia, sed a dilectionis præcepto derivandam esse : *Diliges proximum tuum sicut teipsum, ideoque respondere coactus fuit : Qui fecit misericordiam.*

4. — Contra quem pariter militat hæc Lucae Brugiensis doctrina : « Ratio proximi in communi hominis natura fundatur, hominem enim hominis causa creavit Deus, cunctosque inter se ita devinxit, ut se mutuo diligere jureque teneantur, nullo habito respectu justitiæ, amicitie, generis, patriæ, nationis, aut quorumvis aliorum. »

**VERSUS 37.**

*At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum; et ait illi Jesu : Vade et tu fac similiter.*

*At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum.*

1. — « Non enim cogitatio, » inquit S. Ambrosius, « facit proximum, sed misericordia; quia

« misericordia secundum naturam; nihil enim tam  
« secundum naturam, quam juvare consortem na-  
« turæ. »

2. — S. Bonaventura hac S. Ambrosii sententia  
proprium stabilire nititur, dum ait : « Paet, quod  
« proximitas magis autem attenditur penes natura-  
« lem dilectionem et compassionem, quam penes  
« carnalem cognationem. »

3. — Accommodat ponderat Salmeron, hunc Le-  
gisperitum contra propriam etiam voluntatem suam,  
compulsus fuisse ad veritatem edicendam : « Tanta  
« est vis veritatis, ut ex ore hostium etiam capita-  
« lum interdum prorumpat. » Tales autem erant  
inimici adversum Judæos Samaritani.

*Et ait illi Jesus : Vade et tu fac similiter.*

4. — Epilogum hunc Albertus Magnus sequenti  
illustrat doctrina. « Vade potius profectu virtutis,  
« quam passu pedis. Fac, non doce tantum, sed ad  
« opus convertere; ideo enim Levit., 1, præcipitur :  
« Os turturis in sacrificio ad ascellas retorquetur, ut  
« os doctrinæ verbi ad opus retorqueatur. »

#### Additio.

a. — Vade et tu fac similiter. Samaritani miseri-  
cordia proponitur, et statim ait Dominus Judæo :  
Vade et tu fac similiter. Et cur fidelis homo non

facit bona quæ vel ab infidelibus fieri videt? Equi-  
dem efficacissima sunt infidelium misericordiæ, ut  
fideles misericordes efficiant et humanos. Et quid  
homo hominem non efficeret clementem et huma-  
num, cum ipsamet natura multaque animalia ad  
misericordiam nos extiment, quæ præcipuus est  
Christiani character. Malachias Propheta, II, 10, sic  
ait : *Numquid non pater unus omnium nostrum?*  
*Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo*  
*despicit unusquisque nostrum fratrem suum?* His  
verbis insinuat, capere se non posse, quomodo  
unus homo alium in suis necessitatibus deserere  
valeat, cum tamen omnes non solum proximi, sed  
etiam fratres sumus, utpote qui eandem ab eodem  
patre, scilicet Deo, originem habemus. Porro natura  
ipsa ad misericordiam et compassionem nos instigat;  
unde Bellovacensis ait : « Propter naturale  
« vinculum, quia omnes fratres sumus in Christo,  
« nos mutuo diligere et juvare debemus. » Aposto-  
lus quoque, I ad Cor., XII, 25, 26 : *Idipsum pro*  
*invicem solliciti sunt membra, et si quid patitur*  
*unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Sunt  
et alia multa motiva ad misericordiam erga proxi-  
mum nos inflammantia, quæ examinare possemus;  
verum sufficiat id quod Salvator noster inquit : *In*  
*hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dil-*  
*ectionem habueritis ad invicem.*

## DOMINICA TERTIADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XVI, VERS. 11

11. Dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.
12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe.
13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu, præceptor, miserere nostri.
14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos Sacerdotibus; et factum est, dum irent, mundati sunt.
15. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum.
16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens; et hic erat Samaritanus.
17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?
18. Non est inventus, qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.
19. Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

#### VERSUS 11.

*Dum iret in Jerusalem, transibat per mediam*  
*Samariam et Galilæam.*

*Dum iret in Jerusalem.*

1. — Rationem, quare præsens nobis exhibeat  
historia, assignat Glossa sequentem : « Post para-  
« bolam, quæ invitat Dominus ad humanitatem et

« perseverantiam in diversis officiis Dei, reprehen-  
« duntur ingrati de impensis beneficis. »

2. — Miraculum istud Christus perpetravit itine-  
rans, quia scilicet, Act. Ap., I, 38 : *Pertransit bene-*  
*faciendo et sanando omnes.* Aliquam porro causam,  
quare Christus in ipso actuali itinere dictam  
sanationem operari voluerit, hanc nobis moralem  
tradit Didacus Stella : « Ut significaret, virtutem

« iam frequentem esse faciendam, ut, etiamsi in  
« itinere et obiter sese occasio obtulerit, bene ope-  
« remur. »

*Per mediam Samariam et Galilæam.*

3. — Dionysius Carthusianus, sensum secutus  
moralem, per Jerusalem, quæ visio pacis interpre-  
tatur, signari docet celestem beatorum patriam;  
per Samariam, quæ dicitur custodia, vitam activam,  
in observantia præceptorum situatam; per Galilæam  
denique, quæ transmigratio nominatur, vitam intelli-  
git contemplativam, quæ spiritualiter a bonis visi-  
bilibus ad invisibilia transit : « Qui ergo ad super-  
« nam cupit pertingere patriam, primo se in actibus  
« exerceat vitæ activæ, deinde in actibus contem-  
« plativæ, ad quam ducit vita activa, sicut ad habi-  
« tulum janua. »

4. — S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom. XIII*  
*post Pent.*, ordinem discussionis hujus itineris in  
sensu pariter morali docet debere omnes, quotquot  
Jerusalem intrare gestiunt, primo per Samariam et  
Galilæam transire, idque non sine mysterio : quia  
« Samaria custodia, Galilæa transmigratio, Jerusa-  
« lem visio pacis interpretatur; qui præcepta custo-  
« dit, ad virtutes transit, ut sic in Jerusalem ire  
« possit. »

5. — « Samaria, » dicit S. Bonaventura, « custo-  
« dia interpretatur, quæ debet esse in hac actione :  
« Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei. »

6. — Hugo Cardinalis de cordis et sensuum cus-  
todia intelligendum esse existimat : « Ideo per  
« mediam Samariam et Galilæam transit Jesus,  
« dum vadit in Jerusalem, quia quilibet, volens  
« pervenire ad celestem beatitudinem, oportet, ut  
« transmigrando mundum, custodiam cordis et  
« sensus habeat. » Perpendit idem insuper Auctor,  
quod hic Christi transitus duplicem nobis, præcep-  
torum scilicet ac consiliorum exhibeat semitam :  
« Hic ostenditur duplex via ad vitam æternam, una  
« communis, quæ est omnium, hæc est Samaria, id  
« est, præceptorum; alia est semita, quæ est per-  
« feclorum, et hæc est Galilæa, id est, adimpletio  
« consiliorum; interpretatur enim transmigratio  
« facta, quod competit perfectis, qui de præceptis  
« ad consilia servanda transmigrant; per hæc duo  
« siquidem itur in Jerusalem. » Adducitque Auctor  
illum Sapientis, Prov., III, 21, textum : « Custodi  
« legem meam atque consilium meum, ecce Samaria  
« et Galilæa, et erit vita animæ tuæ, ecce Jerusa-  
« lem. Quod autem dicitur per mediam, significat,  
« quod non tota vita danda est activæ, nec tota  
« contemplativæ; sed medium inter utrumque  
« tenendum est; sic Moyses modo in valle cum  
« populo, modo in monte cum Domino. »

7. — Quare Christus in Samaria non substituit,  
sed potius transiisse dicitur, causam adducit Didacus  
Stella, quia scilicet Samaritani Gentiles erant.

« Transibat, non permenebat; docens nos, quod non  
« morandum est inter malos; ideo transibat etiam,  
« ne Judæos scandalizaret, multum cum Gentibus  
« conversans. »

#### Additiones.

a. — *Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per*  
*mediam Samariam et Galilæam.* Iter hoc erat insti-  
tutum ad Festum Tabernaculorum, fuitque ultimus  
Domini descensus in Jerusalem, ante mortem nimi-  
rum et passionem suam; sed viam suam direxit,  
neque sine mysterio, per mediam Samariam et  
Galilæam. Cujus rei rationem quamdam moralem  
assignat Titus Bostrensis. « Erat enim, » quum  
« discordia inter Samaritanos et Judæos, quam  
« ipse quasi componens per utroque transit, ut  
« utroque in unum novum hominem compingal. »  
Samaritani, ac Galilæi enim, magno odio ac inimi-  
cilia inter se dissidebant; per eos transit pacis  
Auctor Jesus, ut utrumque populum in se charitate  
ac fide coadunaret, ac pacificaret, eosque maxime  
unitos, ac concordos redderet. Hæc unicum Christi  
fuit studium. Dicit enim, Luc., XII, 49 : *Ignem veni*  
*mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?*  
Quisnam est ignis alius quam charitatis et dilectionis?  
Deuter., XXXIII, 2 : *Ignem lex. Rom., XII, 40 :*  
*Plenitudo legis est dilectio.* Totum enim Evangelium  
ad nihil aliud ordinatur quam ad adimpletionem et  
incolationem hujus præcepti. Unde Apostolus illud  
appellat Evangelium pacis, Eph., VI, 15 : *Calceati*  
*pedes in præparationem Evangelii pacis.* Apostolus  
explicare volens, qualis sit lex Evangelica et gratiæ  
novi Testamenti, eidem dixit, *Joan., XII, 34 : Præ-*  
*ceptum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut*  
*dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. Joan., XV, 12 :*  
*Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Id  
quod alia quoque vice iterum replicavit. Unde  
Salmeron ait : « Repetit præceptum prius datum,  
« ut rem tam necessariam magis eorum mentibus  
« imprimeret, quemadmodum clavus, ut tenacius  
« parieti inhæreat, non uno tantum ictu, sed tertio,  
« aut quarto, pluribusve defigitur. » S. vero Augus-  
tinus illud repetitum esse dicit, ut semel mandatum  
magis recommendaret. « Mandati repetitio com-  
« mendatio est. Dicitur est meum, ne contemnen-  
« dum putemus. Ubi charitas est, quid est quod  
« possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod  
« possit prodese? »

b. — Samaritani et Galilæi, magno odio et inimi-  
cilia inter se dissidebant; Jesus Auctor pacis per  
eos transit, ut eos pacificaret et unitos redderet;  
unde patet quanta sit virtus in curanda reconcilia-  
tione mutua. Non modo Salvator noster præceptum  
dilectionis inimicorum nobis prescripsit, sed et  
insuper ut inimicum pro reconciliatione adeamus  
et requiramus commendavit. Ex quo salutaris con-  
silio fideliter adimpleto ingentia penitus bona hau-